HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE
BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 191012b

Saturday 12.10.2019

Letter of the Holy Father to the special envoy at the enthronement ceremony of the Emperor of Japan, His Imperial Highness Naruhito, Tokyo (22 October 2019)

On 10 August 2019, the Holy Father appointed His Eminence Cardinal Francesco Monterisi, archpriest emeritus of the Papal Basilica of Saint Paul Outside-the-Walls, as his special envoy at the enthronement ceremony of the Emperor of Japan, His Imperial Highness Naruhito, to be held in the *Seiden (State Hall)* in Tokyo on 22 October 2019.

The following is the Holy Father's letter to His Eminence Cardinal Monterisi:

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro
FRANCISCO S.R.E. CARDINALI MONTERISI
Archipresbytero Emerito Basilicae Papalis Sancti Pauli in Urbe

Sollemni modo celebrans memoriam sacratissimae noctis, in qua Dominus noster Iesus Christus de morte transivit ad vitam, Ecciesia in cereo paschali incidit numerum anni currentis cum verbis: "Ipsi gloria et imperium per universa aeternitatis saecula". Re vera, antequam in caelum ascenderet, Jesus discipulis suis dixit: "Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes" *(Mt* 28,18-19). Quod grave mandatum Ecclesia iugiter conata est congruenter explere, per saecula reverenter aestimans et edocens homines, ac praecipue legitimos principes et reges Nationum, simulque pro eis orans, memoria tenens Christum, verum Deum et Hominem, unicum Redemptorem hominis, Regem esse qui venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati (cfr *Io* 18,37), eumque omnes in suum Regnum conducere velle.

Idcirco aftente nunc respicimus Iaponiam, postquam sese abdicavit, progrediente aetate, eius imperator Akihito, qui triginta annos regnavit quique etiam multum contulit ut consuetudinis et cooperationis rationes inter Iaponiam et Ecclesiam Catholicam feliciter usque vigerent ac progrederentur. Cum autem Nobis felix notitia allata sit quod novus Iaponiae imperator Naruhito thronum adipiscetur, qui sane sui patris hereditatem suscipiens, populi bono

prospicere studebit, de hac re omnino laetamur.

Cum autpm civiles Iaponiae Auctoritates probandum desiderium manifestaverint, ut ad inthronizationis festivitatem quidam Pater Purpuratus mitteretur, Nos fidenter eligimus ac Nostrum Missum Extraordinarium nominamus te, qui inter proximos Decessorum Nostrorum ac Noster in opere socios computaris. Quapropter volumus ut Tokiensi in urbe capiti die XXII proximi mensis pctobris Nostris vicibus fungaris Nostramque geras Personam. Mandamus simul ut novo Imperatori fervidam significes Nostram gratulationem et optima vota, quibus toti Iaponiae Nationi, Nobis carissimae, ab omnipotenti et misericordi Deo constantem pacem et prosperitatem expetimus. Quae plena benignitatis verba illuc venientes Ipsi iterare mox properabimus.

Scias profecto volumus, Venerabilis Frater Noster, hanc missionem tuam Nos precibus esse comitaturos, intercedentibus Beatissima Maria Virgine, Regina caeli et terrae, et sancto Joanne Paulo II, magno Decessore Nostro. Denique Benedictionem Apostolicam, caelestis gratiae pignus, tibi amanter impertimus, ex qua Deus conceders vellet de rore caeli et de pinguedine terrae (cfr *Gn* 27,28) universis dilectis filiis nobilis Iaponiensis populi qui serenissimum Imperatorem Naruhito laetantes consalutant, dum optamus -ut caelitus eidem cuncta obveniant bona in totius Nationis beneficium.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Septembris, anno MMXIX, Pontificatus Nostri septimo.

FRANCISCUS